



Juere compagem, quæ sacrofæctum cœlestis doctrinæ exhibet  
 systema. Unde judicium fieri potest de summa hujus artis, ac  
 varia *utilitate*, per omnia Theologiæ stadia graffante. In ea  
 sanctioris disciplinæ parte, quæ Positiva vel Thetica vulgo au-  
 dit, hæc nostra universæ de Scriptura S. tractationi facem præ-  
 fert; in Polemica, auctoritatem ejusdem ac integritatem ab ad-  
 versariorum vindicat strophis; in Morali, eloquiorum Dei ve-  
 nerationem & observantiam persuadet; in practica demum &  
 Casuali, innumeros eorum animis scrupulos evellit, qui circa re-  
 ligionis fundamentum nondum muniti satis sunt & confirmati.  
*Arduum* denique quis non dixerit, quod tot prægravatum impe-  
 ritorum cavillis & criminationibus, tot, in partes scissum varias,  
 doctissimorum hominum concertationibus, tot denique circum-  
 septum veluti ac cinctum est quæstionibus difficillimis, non nisi  
 pertinaci scrutinio, singulari *αγχιστοί*, & multorum cum ve-  
 terum tum recentiorum Scriptorum collatione facta, & institu-  
 to examine, discutiendis. Improbè sane istud doctrinæ ge-  
 nus per duo fere secula, summa exercuit ingenia, quorum  
 percensere conatus, trutinare tentamina, pervolvere lucubra-  
 tiones, vario idiomate exaratas, & quid frugi suggesterant, quæ  
 cavenda rursus, & cane pejus ac angue fugienda præbeant of-  
 fendicula, dextre dijudicare, haud in promptu omnibus ac  
 expeditum est. Quæ cum ita sint, nefcio, quo demum factum  
 sit casu, ut purioris ecclesiæ doctores, qui tam sollicite univer-  
 sum divinioris sapientiæ velut *εγκυλοπαιδεῖαν*, tot edecumatis  
 explicatam vindicatamque dederunt operibus, nullamque  
 ejus partem reliquerunt intactam, hic tamen suam desiderari  
 passi sint industriam, nec pleniores paulo utilissimæ hujus  
 disciplinæ institutionem tyronibus concinnarint. Eoque ma-  
 gis mirandum id est, quo diligentius in ea & Pontificii Docto-  
 res, Claud. Frassenius, Rich. Simonius, Lud. Elias du Pin, Joannes  
 Martianæus, & Reformati, Andr. Rivetus, Joannes Leusde-  
 nius, Brianus Waltonus, Joannes Henr: Hottingerus, labora-  
 runt; ita tamen, ut plurimæ in ipsorum scriptis hypotheses  
 occurrant, quæ *ἀμαθῆς καὶ αἰσχρές* in præceps agere que-  
 ant. Quæ enim e nostris Jo. Conrad. Danhauerus, Salo-  
 mo Glassius, Abrah. Calovius, Christoph. Cellarius, huc per-  
 tinen-